UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118456

§. 33. Alia Bulla contra tres illos Cardinales præcipuos Pisani Concilii Auctores.

urn:nbn:de:hbz:466:1-66433

Visual Library

Sæcul. XVI.
A.C. 1511.

§. XXXIII.

Alia Bulla contra tres illos Cardinales præcipuos Piſani Concilii Auctores.

Edita hac Conſtitutione, qua Concilium Romæ celebrandum indixit, Pontifex aliam Bullam promulgavit adverſus Carvajalum Piſani Concilii auctorem, Cardinalem de Borgia, ambos natione Hiſpanos, necnon contra Cardinalem Briſſonetum, ſuppreſſis ceterorum nominibus, utpote quorum auctoritatem minoris habebat. In hac Bulla niſi intra ſexageſimum quintum diem ſe Romæ ſiſterent, eos dignitate Cardinalatus, cunctisque dignitatibus privatum iri comminabatur. Hac ſententia, inquit Mariana, ſeditioſi iſti Cardinales velut fulmine tacti hærebant; convocata enim Synodo Julius non modo perverſa eorum conſilia evertit, ſed & ſpecioſum adimebat prætextum, quo ſuam a ſummo capite defectionem honeſtare conabantur. Nihilominus Papa ceteroquin ad iram proclivis, cum Synodum Romæ celebrandam nonniſi invitus convocaſſet, vix ultra intra moderationis limites ſeſe continere poterat, hinc indignationem, doloremque ſuum quacunque data occaſione effundebat: Ubique divulgabat, in proxima Synodo

Guicc. lib. 10 Spond. hoc ann. num. 15.

Marian. lib. 30. n. 17. Raynald. l. c. n. 24 Ext. de eo literæ in append act. Conc. Piſan. p. 160.

Secul. XVI. A.C. 1511.

do de rebus maximi momenti agendum eſſe, matrimonium Annæ Reginæ cum Rege Chriſtianiſſimo nullum eſſe declarandum, Aquitannos & Normannos populos a fidei Sacramento Galliarum Regi præſtito abſolvendos, eoquod ille utramque hanc Provinciam a ſuis Prædeceſſoribus per nefas Anglis ereptam uſurparet. Has tamen minas Pontifex nonniſi Gallis terrorem incutiendi animo intentabat; ita nempe

Ira, quæ tegitur, nocet
Profeſſa perdunt Odia vindictæ locum.

§. XXXIV.

Epiſtola Piſanorum Cardinalium ad Romanos.

In act. Conc. Piſ. ſub Jul. II. ann. 1511. *impreſſ. Pariſ. in ann.* 1512. *p.* 67. *& ſeq. Raynald. ad ann.* 1511. *n.* 20.

Cardinales, quamvis ingenti terrore perculſi eſſent, in ſuo tamen propoſito obfirmati, Piſano ſuo Concilio initium dare parabant; unde Procuratores, qui illud inchoarent, ablegant, atque ad Epiſtolam, quam Epiſcopus Alexandrinus nomine Cardinalium Romanorum ad eos die ſexta Auguſti perſcripſerat, reſpondent hunc in modum: *Quoniam deſideramus reformationi & paci Eccleſiæ conſulere, hinc ejus procurandæ cauſſa ad tempus*